

DE S. ALBERTI MAGNI  
POSTILLA INEDITA  
SUPER IEREMIAM

Praeter iam editos commentarios S. Alberti Magni in Iob, in Daniele, in Threnos, in Prophetas minores et in Baruch, citantur a Ptolemeo de Lucca <sup>(1)</sup> postillationes ineditae super prophetas maiores, quos explicite nominant catalogus Stam-sensis <sup>(2)</sup>, Henricus Herfordianus <sup>(3)</sup> necnon Albertus de Castello (Iacobus de Susato) <sup>(4)</sup>, nempe Isaiam, Ieremiam et Ezechielem. Circa eosdem ait Petrus de Prussia <sup>(5)</sup>: *Per modum vero postille hos vidi: super Isaiam, Ieremiam, Ezechielem*, et brevissima tradit ex postillis super Isaiam et Ezechielem excerpta <sup>(6)</sup>. Ad haec forsitan alludens P. de Loë, O. P. <sup>(7)</sup>, inter opera dubia ac spuria S. Alberti, sub numero 14 haec habet: *Vix aliquod horum superest operum*. Dominus Weiss, in suis magni momenti *Primordiis Bibliographiae B. Alberti Magni* <sup>(8)</sup> sub numero 146 indicat codicem manuscriptum Burde-

<sup>(1)</sup> Dr. CHR. H. SCHEEBEN, *Les écrits d'Albert le Grand d'après le Catalogues*, *Revue Thomiste*, 1931, p. 279.

<sup>(2)</sup> *Ibid.*, p. 274.

<sup>(3)</sup> *Ibid.*, p. 275.

<sup>(4)</sup> *Ibid.*

<sup>(5)</sup> *B. Alberti Doctoris Magni... de adhaerendo Deo libellus. Accedit eiusdem Alberti Vita*, Antverpiae, 1621, p. 283.

<sup>(6)</sup> *Ibid.*, pp. 131, 132, 140, 166, 167, 184.

<sup>(7)</sup> *De Vita et Scriptis B. Alberti Magni*, Pars III, *Anal. Boll.* t. XXI, Bruxellis 1902, p. 370.

<sup>(8)</sup> Editio altera, Parisiis, 1905.

gallensem, continentem commentarium in Ieremiam (<sup>1</sup>). Inspicienti tamen elenchum codicum mss. dictae bibliothecae, iam patet ibi non haberi nisi explanationem editam Alberti in Threnos Ieremiae (<sup>2</sup>).

Operum ineditorum S. Alberti inveniendorum studio motus, litteras misi Domino A. Hodüm, rectori bibliothecae seminarii Brugensis, in qua aliquos ante annos me vidisse memini opera scripturistica inedita S. Alberti. Responsum autem accepi codicem 103/129 continere commentarium super Baruch et fragmentum postillae super Ieremiam. Hoc vero fragmentum, arte photographica primo reproductum, ac postmodum de visu a me perscrutum, omnia authenticitatis criteria prae se ferre haud dubitandum est. Unde de eo dicamus quaedam utilia ut alii, huius fragmenti ope, in codicibus forsitan anonymis, totam postillam invenire possint.

\*  
\* \*

Codex B est saec. XV, et continet duas partes distinctas a diversis amanuensibus conscriptas. Folia sunt pelle confecta, altitudinis 30 cm., latitudinis vero 22 cm. Recenter numeris munita sunt folia, omissis duobus prioribus, quae vacua manserunt. Praeterea duo folia signata sunt numero 105, ac inter utroque, habetur absque numero folium vacuum. Tabulae lignae quibus ocluditur codex, interius coopertae sunt membrana in qua homiliae quaedam tertii nocturni conscriptae fuerunt saeculo XI vel XII.

Secundo folio non signato, legitur inscriptio ex saec. XIX: *Quaedam dicta super libros politicorum et ethicorum, item chronica Bedae et manipulus moralis philosophiae cum tabulis super epistolas Senecae.* Codicem abbatiae Thosanae O. Cist. pertinuisse

(<sup>1</sup>) Sub n. 162 habetur: « *In Isaiam Ms. Middlehill* ». Hic codex pertinet domino Philips, sed venditus est anno 1910 antiquario Hiersemann Lipsiensi, nunc vero asservatur in Bibl. Nat. Berolinensi.

Sub n. 122 legitur: « *In Ezechielem* ». Non recensetur aliquis eod. ms.

(<sup>2</sup>) *Catalogue des Manuscrits des Bibliothèques de France. Départements. T. XIII. Paris 1894, p. 23, n. 34: « Alberti Magni in XII Prophetas et Lamentationes Ieremiae commentarii. Fol. 127: Eiusdem commentarius in Threnos Ieremiae. " Treni. Ecce videntes clamabunt... nemineris iniquitatis vestre. Expliciunt Treni. Amen " . ...XIV s. ».*

compertum habemus ex peculiari signo crucis aliquibus foliis — v. gr. ultimo — impresso.

Amanuensis prior transscripsit:

a) f. 1-29 bis: Compendium singulorum capitulorum libri Politicorum.

Incip. f. 1 r a: *Liber primus. Incipiunt capitula libri politicorum quoniam autem et cetera. In isto primo libro est intencio aristotelis determinare de yconomia quia est ordinata ad politicam.*

Explic. f. 29 bis r a: *per multa exempla, et patet quod dicit. Explicit liber octavus. In fine folii: Incipit primus liber moralium aristotelis ad nichomacum.*

b) f. 29 bis - 54: Compendium singulorum capitulorum libri Ethicorum.

Incipit f. 29 bis r b: *Capitulum primum de eo quod est aliquis finis perfectissimus operabilium bonorum.*

Expl. f. 54 r b: *quibus legibus et consuetudinibus utens. Expliciunt capituli 10 libri moralium aristotelis ad nichomacum*

Sequitur 54 r b - 54 v a: *Tabula 10 librorum: Primus liber est de fine virtutum qui dicitur felicitas... Decimus de delectatione et felicitate.*

c) f. 54-77: Postilla Alberti in Baruch.

Incip. f. 54 v b: *Benedictus qui venit in nomine domini.*

Expl. f. 77 r b: *beatus populus qui scit iubilationem. Explicit Albertus super Baruch.*

d) f. 77-81: Postilla Alberti super Ieremiam (f. 80 bis repetitur).

Incip. f. 77 v a: *Albertus super Ieremiam. Et factum est verbum Domini ad me.*

Expl. f. 81 v b: *plantabis eos in monte hereditatis tue... Non erat plus in exemplari. Incipit chronica Bede.*

e) f. 82-104: Chronica Bedae.

Incip. f. 82 r a: *Adam annorum 130 genuit Seth.*

Expl. f. 104 v b: *tanto patri honore recondidit. Hec chronica incipit ab Adam et pertingit usque ad annum domini 726.*

Fol. 105 vacuum est; similiter folium sequens, quod caret numero.

Deinde iterum habetur f. 105, in quo incipit, ab alio amanuensi transcriptus, « Manipulus moralis philosophiae ».

F. 150ra: *Quoniam, ut habetur in primo paralipomenon 2<sup>o</sup>, de corona...*

Expl. f. 170 vb: *Explicit milleloquium philosophi sive manipulus moralis philosophiae. Deo gratias. Amen. Ave. Epistolas Seneca ad Lucillum octaginta novem duas. Sic enim sine tedio invenitur quesitum.*

F. 171 ra - 175 rb: Tabula super epistolas Senecae.

Sequuntur duo folia, absque numeri indicatione, in quibus legitur fragmentum alicuius operis mathematici.

His dictis de codice Brugensi, transcribamus textum fragmenti super Ieremiam, signis [ ] occludentes ea quae ob intellectum litterae addenda, signis vero ( ), ea quae delenda duximus.

\*  
\* \*

F. 77 va: « Albertus super Ieremiam [I, 4-10].

Et factum est verbum Domini ad me. Prophecia, que secundum divisionem tituli, in duas partes dividitur, in quarum prima describitur perfectio prophete ad prophetandum; in secunda series visionum revelatarum, infra capitulo 2: Et factum est verbum Domini ad me dicens: Vade et clama.

Propheta tribus perficitur, et ideo tria in prima parte dicuntur, scilicet de prophete illuminatione ibi [vers. 13]: Et factum est verbum [Domini secundo] ad me dicens: Quid tu vides, et de prophete illuminatione ibi [vers. 17]: Tu ergo accinge lumbos tuos.

In prima tria dicuntur, scilicet prophete consecratio, et impeditenti ablacio, ibi: Et dixi A, A, A, et potestatis collacio, ibi: Ecce constitui te hodie super gentes et <sup>(1)</sup> regna.

In prima duo dicuntur, scilicet Deitatis [sic!] confirmacio, et prophete ad actum tam eximie sanctitatis consecratio. De primo dicit: Et factum || 77 vb || est verbum, id est, a Deo Patre increatum; non factum. Hoc verbum ad me est factum, id est facto divino inspiratum. LUCE 2 [15]: *Videamus hoc*

(1) Vulg. add. *super*.

*verbum, quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis* (1).

Priusquam te formarem. Tria dicit, que ad consecrationem pertinent, scilicet predestinationis preordinacionem, gracie appositionem et gradus sive potestatis collacionem. De primo dicit: Priusquam te formarem, id est: anima rationali, que forma hominis est, in specie hominis ponerem. Novi te, id est: luce predestinationis ad gratiam et gloriam preordinavi. Non enim novit Deus ad modum hominis. Noscit homo noticiam rei a re accipiendo, et hic intellectus sine passione non est, quia rem recipere pati quoddam est. Noscit Deus luce sapientie res in formis suis constituendo, et quod maneant in esse approbando. GENESIS I [31]: *Vidit Deus cuncta que fecerat, et erant valde bona.* Sic ergo oculi beneplaciti novit quibus gratiam parat et gloriam. EXODI (2) 33 [12]: *Invenisti gratiam coram me, et te ipsum novi ex nomine* (3). || 78 ra || [II AD] TIMOTHEUM 2 [19]: *Novit Deus qui sunt eius* (4).

Sic per oppositum de malis quos ad gratiam et gloriam non preparavit, dicitur MATTHEI 7 [23]: *Ego iurabo illis: quia nunquam novi vos* (5), non quia in noticia simplicis visionis malos non previderit, sed quia lucem gracie ex gratis oculis suis super eos non effudit, sicut de sanctis dicitur in PSALMUS [sic!] [31, 8]: *In via hac qua gradieris, firmabo super te oculos meos.* Mecum ibit Chanaan, et ponam oculos meos super eum (6). Secundum hoc ergo, quia noticia Dei a rebus nichil accipit, sed potius res in esse constituit, ideo eodem modo novit res antequam fiant et postquam factae sunt. [AD] ROMANOS 4 [17]: *Vocat ea que non sunt tamquam ea que sunt.* Fuerunt tamen heretici, a philosophis, qui stoici vocantur, occasionem erroris accipientes, qui propter hec et similia, animas ab eterno esse dixerunt, vel ab inicio mundi simul creatas. Et quia uniuscuiusque animam novit Deus, ideo dicere quod Ieremiam

(1) VULG.: *quod Dominus ostendit nobis.*

(2) In B legitur: *Genesis.*

(3) VULG.: *Te ipsum novi ex nomine et invenisti gratiam coram me.*

(4) VULG.: *Cognoscit Dominus qui sunt eius.*

(5) VULG.: *Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos.*

(6) GEN. 44, 21: *Adducite eum ad me, et ponam oculos meos super illum.*

novit antequam nasceretur, et illis obviat GLOSA <sup>(1)</sup> que dicit: *non quia ante conceptionem fuerit, ut hereti- || 78 rb || ei suspiciantur, sed quia prescivit eum Dominus, cui facienda iam facta sunt, qui vocat ea que non sunt tamquam ea que sunt.*

Et antequam exires de vulva: Tangit gracie appositionem, quam in vulva formatus accepit, antequam prodiret ad lucem, et hoc est quod dicit: Sanctificavi te, id est: per gratiam gratum facientem a peccato mundavi te. Aliud enim est sanctificatum, et aliud sanctum. Sanctificatum enim sancto sanctifica[n]tur. Unde sanctum non necessario sanctificatum est, et hoc modo sanctum in utero Christus est: LUCE I [35]: *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei* <sup>(2)</sup>. Sanctificatum autem per formam et effectum sancti, de non sancto sanctum efficitur, sicut communiter sanctificamur in baptismo per sancti nostri Christi sanctitatem; paucis autem et specialiter electis, quos ad Christi obsequium ex privilegio datum est quod in utero sine sacramenti alicuius susceptione sanctificati sunt: Ieremias autem, quia faciendo et prophetando, passionem, que in omnibus sacramentis || 78 va || sanctificat, specialiter praefiguravit, quia licet hoc Ysaïas liquide predicaret, tamen non legitur passionem prefigurasse. Ieremias vero et contradictionem perpeusus est in verbis et insidias in factis, et a viris sibi pacificis traditus, sicut II [19] conqueritur dicens: *Venite, mittamus lignum in panem eius. et alia multa que dicit ibidem, et hoc idem dicit Christus de se, IOHANNIS I3 [18]: Qui manducat panem meum* <sup>(3)</sup>, *levabit contra me calcaneum. PSALMO [40, 10]: Homo pacis mee in quo sperabam, amplivavit super me sup[plantationem]* <sup>(4)</sup>. Iohannes autem Baptista huius gracie fecit preparacionem, et ideo maiorem habuit sanctificacionem. Virgo vero beata huius et omnis

<sup>(1)</sup> GLOS. ORD. STRAB., P. L. 114, col. 9: *Non quod... Dominus futurum, qui facienda iam facta... IERON. super IEREM. P. L. 24, col. 682 Non quo ante... ut heresis suspicatur, sed quod praesciret eum futurum Dominus cui necdum facta iam facta sunt secundum illud quod Apostolus loquitur: Qui vocat ea quae non erant, quasi ea quae essent.*

<sup>(2)</sup> VULG.: *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum.*

<sup>(3)</sup> VULG.: *manducat mecum panem, levabit.*

<sup>(4)</sup> VULG.: *Homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

gracie ministravit exhibicionem, et ideo pre omnibus maiorem habuit sanctificationem. Ieremias autem ab utero matris consecratus est propheta: ab utero, ne contraria dispositione sit preventus: consecratus, ne peccati inydoneitate sit reprobandus. Contrarium in subiecto profundatum nec munde nec libere nec ydonee recipit habitum illuminacionis. Ubi || 78 vb || autem contrarium preveniens non est, obstaculum illuminacio non invenit, et in subiectum mundum in profundum se transfert et prophetam constituit. SAPIENCIE 7<sup>o</sup>, 27: *Per nationes in animas sanctas se transfert, amicos<sup>(1)</sup> et prophetas constituit.* Adhuc autem liberum non est quod impeditur dispositione contrarii, et ideo anima libera est, que antequam per peccatum actuale polluat, gratiam suscipit illuminacionis. ORATIUS [*Epist.* 1, 2]: *Quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu.* TRENIS 3 [,27]: *Bonum est homini cum portaverit iugum Domini ab adolescentia sua<sup>(2)</sup>.* Propter hanc puritatem de prophetis dicitur YSAIE 8 [,18]: *Ecce ego et pueri mei quos michi dedit Dominus, in signum et portentum Domini Israël<sup>(3)</sup>.* Tales eciam ydonei sunt quos nulla macula peccati actualis fecit indignos. PSALMO [24, 21]: *Innocentes et recti adhererunt michi.* Precellunt ergo qui a ventre matris hoc habent. Consecracione autem ad unctionem refertur Spiritus Sancti, quam Ieremias accepit in utero. Et quam || 79 ra || vis gradum huius primum sanctificationis Beata Virgo habeat que hanc gratiam exhibuit, tamen gradum proximum iuxta illam precursor habuit, qui licet peccatum habuit, tamen de peccato mortali non legitur fuisse temptatus. MATTHEI 3 [,14]: *Ego a te debeo baptizari.* GIOSA: *id est, de peccato mundari.* Iohannes ergo ad minus peccatum veniale habuit. Ieremias autem, ut gratie demonstrator, et illam sanctificationem in utero habuit; tamen impedimentum peccati fecit. Cum enim dicit: *Puer sum*, sensus est quod puerilibus infectus sum, que puerilia tantum prestabant impedimentum ut se loqui non scire fateatur. Primo [*sic!*] ergo locum Beata Virgo habuit, que specialem coram Deo gratiam invenit; secundum habuit precur-

(1) VULG. addit *Dei.*

(2) VULG.: *Bonum est viro, cum portaverit iugum ab adolescentia sua.*

(3) VULG.: *...quos dedit... portentum Israel a Domino exercituum.*

sor, qui viam gratiae praeparavit; tertium vero propheta  
 Ieremias qui huius gratiae fuit prenunciator, et si queritur  
 quare talem perfectionem alii prophetae non habuerunt, cum  
 etiam ipsi gratiae prenunciatores fuerunt, dicendum quod ul-  
 time gratiae, quae per solutionem peccati in passione exhibita  
 || 79 rb || est, verbo et opere et passione prenunciator non fuit  
 nisi Ieremias, qui verbo predixit, virtute spiritus probavit, et  
 similitudine passionis figuravit. IEREMIE II [,19]: *Venite* <sup>(1)</sup>, *mit-*  
*tamus lignum in panem eius, et eradamus eum de terra viven-*  
*cium, et nomen eius non memoretur amplius.* Panis eius dicitur  
 panis sive <sup>(2)</sup> quo Ieremias pavit populum et Christus disci-  
 pulos. Lignum vero ligni dicitur supplicium. Lignum vero in  
 panem mittitur, quando cum comeditur panis alicuius, cogi-  
 tatur qualiter ligni supplicium pastori infligatur. Interim, dum  
 panis eius per caritatis beneficium exhibetur, sicut in Ieremiam  
 cogitatum est, et in Dominum Iesum Christum. Hoc autem in  
 alio propheta factum esse non legitur, et ideo iste specialem  
 ad hoc accepit sanctificationem et consecrationem, et hoc est  
 quod dicitur: consecratus est, hoc est: in utero matris per  
 unctionem sancti spiritus sanctificatus ad officium prophetale:  
 IOHANNIS [*Epist.* I 2, 27]: *Unctio* <sup>(3)</sup> *docebit vos de omnibus.* Sic  
 propheta sanctificatur. DEUTERONOMII 18 [,15]: *Prophetam susci-*  
*tabit Dominus de fratribus vestris tanquam me* <sup>(4)</sup> || 79 va || *au-*  
*diatis illum.* Nec mirum si praeter aliis acceperunt in utero sanc-  
 tificationem, qui ad Eum, qui Filius fuit, in utero speciali actu  
 et verbo acceperunt officium: Virgo Beata scilicet exhibendo,  
 precursor viam preparando, et vates prefigurando et premon-  
 strando, et quamvis Mater superlativum ex privilegio accepit,  
 precursor etiam comparativum, Ieremias positivo non caruit.

Et prophetam: inspiratione prophetica illuminatum.

<sup>(1)</sup> *Venite* deest in VULG., sed habetur in liturgia hebdomadae sanctae.

<sup>(2)</sup> Ita B. Forsan scriba in exemplari male legit abbreviationem « *scien-*  
*tiae* ». Attamen sive potest servari, et sensus est: *dicitur panis, sive [id] quo*  
*Ieremias pavit populum.*

<sup>(3)</sup> VULG. add. *eius.*

<sup>(4)</sup> VULG. DEUT. 18, 15: *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis*  
*sicut me, suscitabit tibi Dominus tuus: ipsum audies.*

ACT. 3, 32: *Moyses quidem dixit: Quoniam prophetam suscitabit vobis*  
*Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquam me.*



Propheta enim ab inspiratione divina enunciat, non describens factorum historiam, nec complectens humana argumentatione scienciam, sed simplici prenunciacione predicat ea que futura Deus preordinavit: PETRI II I [21]: *Non* <sup>(1)</sup> *voluntate humana allata est aliquando propheta, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* In hystoria enim sensus hominis dirigit ex preteritorum memoria, in scienciis argumentativis veritatem ratio suggerit, sed in propheta solus spiritus divinus pronunciat || 79 vb || ea que futura sunt, et ideo certissima est propheta. Non enim super spiritum hominis fallacem, sed super spiritum Dei qui falli non potest, omnia verba prophetarum fundantur. [I] Cor. 2 [12]: *Non nos* <sup>(2)</sup> *spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis.* ECCLESIASTICI 36 [18]: *Prophete tui fideles inveniantur.* AMOS 3 [7]: *Non faciet verbum quod non revelet ad servos suos, scilicet prophetas* <sup>(3)</sup>. Et nota quod ut maiorem haberet idoneitatem ad prophetandum, eciam antequam nasceretur, in utero sanctificatus est ad peccati originalis delecionem quantum ad culpam, et ad fomitis debilitatem quantum ad pronitatem ad malum, ut scilicet ad nichil institueret quod tante sanctitati prestare posset impedimentum ISAIE 49 [1]: *Dominus ab utero vocavit me.*

In gentibus: ut non solum filiis Israël, sed eciam gentibus prophetaret. ISAIE 49 [6]: *Dedi te in lucem gentium.* Propheta enim procul fans <sup>(4)</sup> vel pro aliis fans dicitur, qui alio nomine vates vocatur, a vi mentis <sup>(5)</sup>, quod vi mentis illuminate ad alios divine revelacionis effatur mysteria. Di- || 80 ra || cit autem: *Dedi te*, quia donum Dei propheta est, sicut dicitur: [I] AD CORINTHIOS 12 [10] <sup>(6)</sup>. Modus autem dandi est quod lumen divinum intellectus dupliciter accipi potest, scilicet in se,

(1) VULG. add. *enim*.

(2) VULG.: *Nos autem non*.

(3) VULG.: *Non facit Deus verbum, nisi revelaverit secretum suum ad servos suos prophetas.*

(4) ISIDOR., *Ethymol.*, VII, 8.

(5) *Ibid.*

(6) I Cor. 12, 8-10: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae...*

et sic unum et uniforme est; vel potest accipi prout determinate constitutum est rerum in forma generis et specierum et discrete singularitatis, et hoc modo revelationis, ut dicit Ieronimus <sup>(1)</sup>. Hoc modo Verbum Dei ratio et supputatio est, et causa singulorum per quam sunt singula, et hoc Verbum animae infundere est donum propheticie dare, sicut et lux duobus modis consideratur, scilicet prout est actus lucidi, et hoc unum est et uniforme; et potest considerari prout diffusivum in superficiebus terminatorum corporum, constitutum est in genere et specie et esse discreto, et hoc modo perceptum ab oculo, omnium colorum est noticia et manifestatio, et ideo dicit ARISTOTELES [*De Sensu et Sensato* 3] quod *color est extremitas perspicui in determinato corpore* <sup>(2)</sup>, et alibi [*De Anima* II, 7]: *Color est motivum visus secundum actum lucidi* <sup>(3)</sup>. Talis autem intellectus || 8o rb || predicto modo ad intelligibile determinatus, ab antiquis speculum eternitatis dictus est, in quo prophete legerunt quando revelationem acceperunt. Sic igitur interius perficiendo, prophetam constituit. SAPIENTIE 7 [27]: *Spiritus Sapientie per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit.*

Et dixi A, A, A: Tangitur hic (ablacio) impedimenti allegacio et impedimenti ablacio. Allegacio est ad excusacionem, ablacio autem ad allegacionis exclusionem. In allegacione dicit: Et dixi, magnitudinem scilicet officii pertimescendo, et infinitatem meam cognoscendo. A, A, A: triplex est defectus tenebre [*sic!*] ex reatu peccati, pondus corporis et inexperiencia etatis, et ideo dicit: A, A, A de tenebris peccati. Dicitur IOB 37 [19]: *Nos quippe involvitur tenebris.* THORIE 5 [12]: *In tenebris sedeo et lumen celi non video.* De pondere corporis SAPIENTIE 9 [15]: *Corpus* <sup>(4)</sup> *quod corrumpitur aggravat ani-*

<sup>(1)</sup> In Ierem. I, 4-5 (C. S. E. L. 59, 7): *Quod autem sanctificatur in utero iuxta illud apostoli [Gal. 1. 15-16] debemus accipere: postquam autem placuit ei qui me segregavit de utero matris mee et vocavit per gratiam suam UT REVELARET Filium suum in me...* Item GLOSSA ORD. in Ierem. 1 (P. L. 114, 10).

<sup>(2)</sup> BEKKER, 439 b 11: ὥστε χροῖμα ἄν εἴη τὸ τοῦ διαφανοῦς ἐν σωματι ὁρισμένῳ πέρας.

<sup>(3)</sup> BEKKER, 418 b 1: πᾶν δὲ χροῖμα κινητικόν ἐστὶ τοῦ κατ' ἐνέργειαν διαφανοῦς.

<sup>(4)</sup> VULG. add. enim.

man. De inexperiencia etatis, que concupiscenciam sequi facit, dicit [II AD] THYMOTHEUM 2 [22]: *Inve- || 80 va || nilia* <sup>(1)</sup> *desideria fuge*. PSALMO [24, 7]: *Delicta iuventutis etc.* Quia ex delictis iuventutis causatur ignorancia experiencie. ECCLESIASTICI 34 [10]: *Qui non est expertus, qualia scit?* <sup>(2)</sup>. Sic ergo dicit: A, A, A, Domine Deus; et quod dicit: Domine Deus, de invocacione est; et figurat potestatem in eo quod dicit: Domine, sapienciam enim in eo quod dicit Deus. Theos enim grece, ut dicit DAMASCENUS [De Fide Orthodoxa I 9] <sup>(3)</sup> a greco theoro—theoras derivatur, quod est video, vides, ac si dicat: Domine qui potes et Deus qui scis, ecce non scio loqui. Allegacio est impedimenti cum posicionem cause. Impedimentum vocatur cum dicit: Ecce nescio loqui. Ad excellentem enim lucem homo irrationalis efficitur. Unde DYONISIUS, *De divinis Nominibus, capitulo 1* <sup>(4)</sup>: *Cum ad Deum accedimus, perfectam invenimus irrationabilitatem.* Nec allegat impedimentum lingue sicut Moyses EXODI 4 [10]: *Impeditioris lingue factus sum ex quo locutus es ad servum tuum* <sup>(5)</sup>. Nec etiam indignitatem ponit ut YSAIE 6 [5]: *Vir polluti labii ego sum, et in medio populi polluta labia || 80 vb || habentis ego habito.* sed allegat impedimentum etatis, et hoc est quod subdit: quia puer ego sum, quod licet impedimentum ex parte hominis sit, tamen obicere Spiritum Sanctum non potest. DANIELIS 13 [45]: *Suscitavit Deus spiritum* <sup>(6)</sup> *pueri iunioris.* Sic Samuel illuminationem accepit in voce Domini et prophetare cepit cum puer esset I REGUM 2 [27], et dicit IERONIMUS [In Ieremiam, 1, 6]: *Detestatur officium quod pro etate non potest sustinere, eadem verecundia, qua et Moyses tenuis et gracilis vocis se esse* <sup>(7)</sup>

(1) VULG. add. *autem.*

(2) VULG.: *Qui non est expertus, pauca cognoscit... Qui non est tentatus, qualia scit?*

(3) S. ALBERTUS, *S. Theol.* I 16, ad obi. in contr.: *Dicitur Deus a Θεωρέω-εἰς, quod est video, vides.*

(4) Ibi et in cap. 7 Deus vocatur *irrationabilitas* quia nostra ratione capi nequit. Citatio non est ad litteram.

(5) VULG.: *Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris lingue sum.*

(6) VULG. add. *sanctum.*

(7) C.S.E.L. 59, 7-8: *esse se.* GLOSSA ORD. in Ierem. 1 (P. L. 114, 10): *se esse.*

*dicit, sed ille quasi magnus robusteque etatis corripitur, huic puericie datur venia, que verecundia et pudore decoratur.* Tales enim iuvenes cane mentis sunt, quamvis etate aliquomodo sunt imbecilles. [I AD CORINTHIOS 14 [1,20]: *Malicia pueri estote, sensibus autem perfecti sitis* <sup>(1)</sup>. SAPIENCIE 4 [8]: *Senectus venerabilis non est diuturna, nec* <sup>(2)</sup> *numero annorum computata.* Propter hoc, sicut refert PLATO <sup>(3)</sup>, Egyponis senex arguit grecos non de etate, sed sensus defectione dicens: *Greci pueri estis, et non est in vobis ulla* || 80 bis ra || *cana sapientia.* Et PHILOSOPHUS, *Ethicorum* 3: *Non differt etate vel moribus puerilis: non enim ab etate defectio est, sed a passione* <sup>(4)</sup>... Sic: O Domine Deus, non scio loqui, quia iuuenis sum.

Et dixit Dominus ad me: Ablacio est impedimenti, et continet tria: redargucionem, redargucionis racionem, et impedimenti ablacionem. Dicit ergo: Noli dicere quia puer sum, ac si dicat: quia licet etate puer sim [*sic!*], spiritui meo obediens puer non es. Sapientiam enim antiquorum transfudit in ipsum. IOHANNIS [14,] 26: *Docebit vos omnia et suggeret...* Unde senes dixerunt DANIELIS 13 [50]: *Sede inter*

<sup>(1)</sup> VULG.: *Malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti estote.*

<sup>(2)</sup> VULG.: *Neque.*

<sup>(3)</sup> De *Egyptone* nihil apud Platonem, sed de quodam *Egyptio Phoroneo* loquitur in *Timeo* (DIDOT II, 200, 12-14) ibique in ore cuiusdam sacerdotis senioris ponuntur verba haec: "Ἕλληνες αἰεὶ παῖδες ἐστέ, γερωῶν δὲ Ἑλλήνων οὐκ ἔστιν. Ἀκουσας, εἰπεῖν τὰς ψυχὰς παντὲς οὐδεμίαν γὰρ ἐν αὐταῖς ἔχετε δι' ἀρχαίαν ἀκοήν ἡλικίαν δόξαν οὐδὲ μᾶθημα χρόνω πολλῶν οὐδέν. IERONYMUS in *Jeremiam* 1, 7-8 (C. S. E. L, 59): *Ne aetatem, iniquit, consideres; alio enim propheta loquente dedicisti* [Sap. 4, 9]: *CANI hominis SAPIENTIA eius.*

<sup>(4)</sup> Quae sequuntur legere non potui, sed sunt tantum 3 litterae. Citatio est ex I ETHIC., BEKKER 1095 a 6-8: διαφέρει δ' οὐδέν νέος τὴν ἡλικίαν ἢ τὸ ἦθος νεαρός· ἂν γὰρ παρὰ τὸν χρόνον ἢ ἔλλειψις, ἀλλὰ διὰ τὸ κατὰ πάθος ζῆν καὶ διώκειν ἕκαστα. Translatio prout habetur in edit. Opp. S. Thomae L. 1, lect. 3: *Differt autem nihil iuuenis secundum aetatem, aut secundum morem iuuenilis. Non enim a tempore defectio, sed propter secundum passionem vivere et prosequi singula.* In Commentario inedito S. ALBERTI super *Ethicam*, hoc loco, legimus (Cod. 129 Bibl. O. P. Vindobon. f. 3 va): « *Deinde ostendit convenientiam inter utrumque [iuuenem et vitiosum], et dicit quod ad propositum nichil differt iuuenis etate aut moribus, quia scilicet iuuenilia desideria sequitur, quia utique deficit ab opere propter quod est ista scientia [ethica].* Nota etiam quod haec verba *iuuenilia desideria* adhibentur ab auctore huius *Postillae super Ieremiam* hic p. 13, linea 2.

*nos, et iudica nobis, quia tibi Deus contulit honorem senectutis* <sup>(1)</sup>. Hoc ergo modo dicit: Noli dicere: quia puer sum. PSALMI [8, 3]: *Ex ore infancium et lactencium*. Hoc significatum est IOHANNIS 12 [13] in pueris hebreorum <sup>(2)</sup> qui sensu maturiores vicerunt, quibus malicia impares extiterunt. PROVERBIORUM I [4]: *Detur parvulis astucia, adolescentibus vero sciencia* || 80 bis rb || *et intellectus* <sup>(3)</sup>. Tamen quia puer est a puritate dictus, spiritui divino magis est aptus. YSAIE 8 [18]: *Ecce ego et pueri mei quos michi dedit Dominus*. Cum autem dicit: Noli, voluntas affirmata manet, et est sensus: Velis non dicere: quia puer sum. Puer enim esse non potest, quem Deus sua sapiencia imbut. LUCE 21 [15]: *Dabo vobis os et sapienciam cui non poterunt resistere* <sup>(4)</sup> *annos adversarii vestri*.

Quoniam ad omnia, scilicet negocia, que mittam te: ad que negocia mitti virorum est et perfectorum. Ibis secundum obediencie mandata, propter quod dicit [AD] EPHESIOS 4 [13]: *Occuramus omnes* <sup>(5)</sup> *in virum perfectum in mensuram etatis plenitudinis Christi*. IOB 38 [3]: *Accinge sicut vir lumbos tuos, interrogabo te et responde*. Ergo noli dicere: quia puer sum; puerorum enim in negociis Dei non est occupari.

Et universa quecumque mandavero: ad que exigitur memoria tenacem, intellectum perspicacem et rationem ordinatricem et eloquenciam habere efficacem. Loqueris ad eos || 80 bis va || ordinate, unicuique quod sibi competit discrete proponens. EZECHIELIS 2 [7]: *Loqueris* <sup>(6)</sup> *verba mea ad eos*. IOB 29 [22]: *Stillabat super eos eloquium meum* <sup>(7)</sup>. Spiritus enim infusus et sapiencia in corde est, et facilitas eloquencie in ore. ACTUUM 6 [10]: *Non poterat resistere sapiencie et Spiritui qui loquebatur*.

<sup>(1)</sup> VULG.: *Sede in medio nostrum, et iudica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis*.

<sup>(2)</sup> IOH. 12, 13: *Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini*. Quod *pueri* hoc clamabant, habetur MATTH. 21, 15; quod *pueri hebraeorum*, in liturgia Dominicae Palmarum.

<sup>(3)</sup> VULG.: *adolescenti sciencia et intellectus*.

<sup>(4)</sup> VULG. add. *et contradicere*.

<sup>(5)</sup> VULG. add. *in unitatem fidei et cognitionis Filii Dei*.

<sup>(6)</sup> VULG. add. *ergo*.

<sup>(7)</sup> VULG.: *super illos stillabat*.

Ne timeas: Confortacio est que sequitur ex dictis, et in hac primo confortat, secundo rationem dat confortacionis. Confortat eum dicit: ne timeas a facie eorum. Facies autem dicitur vultuositas tumida que iracundiam et furorem pretendit. EZECHIELIS 3 [8]: *Dedi faciem tuam valenciorem faciebus eorum.* Constancior est enim virtus in bono quam vicium in malo. Quia ego tecum sum. Racio confortacionis est in quatuor, scilicet auxilii divini promissione, impediti ablacione, facilitatis ad loquendum collacione, et in gradu testatis constitucione, et hoc est: quia Ego tecum sum. IERONIMUS [in Jerem. 1, 7-8]: *Tue tantum sit voluntatis ut pergas; me habebis comitem, quo cuncta adiuvante complebis* <sup>(1)</sup>. YSAIE 50 [7]: *Dominus Deus* || 80 bis vb || *auxiliator meus, et* <sup>(2)</sup> *ideo non sum confusus.* EXODI 4 [12]: *Tantum perge, ego ero tecum* <sup>(3)</sup>. PSALMO 55 [10]: *Dominus mecum est* <sup>(4)</sup> *non timebo quid faciat michi homo.* Et dicit: tecum, quia Deus non veretur consone nobis cooperari, quamvis ipse principalis sit in opere. [AD] HEBREOS 11 [16]: *Non confunditur Deus vocari eorum Deus* <sup>(5)</sup>. [AD] ROMANOS 8 [31]: *Si Deus pro nobis, qui contra nos.* Ut eruam te, dicit Dominus: ut eruam, scilicet ab inimicis. [II AD] CORINTHIOS 1 [10]: *De tantis periculis eruit nos Deus in quem speramus quoniam adhuc eripiet* <sup>(6)</sup>. PSALMO [90, 15]: *Eripiam eum et glorificabo eum.*

Dicit Dominus: Confirmacio est sermonis, quia quaecumque dixit, facta sunt.

Et misit Deus manum suam: Tangitur ablacio impedimenti. Ysaias enim, quia perfecte etatis fuit, ut vir poluti labii, calculo ignito, id est, severioris penitencie remedio purgatur; Ezechiel autem, quia intellectum non acceperat, comestione libri perficitur: EZECHIELIS 3 [1]; Ieremias autem, quia puer erat, et pollucione conversacionis humane non infectus, et propheta in gentibus datus, per intellectus || 80 ra ||

(1) C. S. E. L. 59, 8.

(2) VULG. om. et.

(3) VULG.: *Perge igitur, et Ego ero in ore tuo.*

(4) VULG.: *In Deo speravi...*

(5) VULG.: *Deus eorum.*

(6) VULG.: *...periculis nos eripuit et eruit ... quoniam et adhuc eripiet.*

illuminacionem a iuvenilibus, que parva et excusabilia sunt, simplici tactu manus purgatur, et hoc est: Et tetigit os meum: tactu scilicet physico, qui immutat hoc quod tangit. Simile est MATTHEI 8 [23] ubi dicit: *Tetigit eum dicens: Volo mundare.* Tactus enim virtutis notat impressionem, et quod virtus divina imprimit, imperfectum remanere non potuit. [LUCE 8, 46] <sup>(1)</sup>: *Tetigit me aliquis, ego enim cognovi* <sup>(2)</sup> *virtutem de me exiisse.* PSALMO [103, 32]. *Tange montes et fumigabunt.* [MATTHEI 14, 36] <sup>(3)</sup>: *Roga[bant] eum [ut] vel fimbriam vestimenti eius tangerent.*

Et dixit Dominus ad me: Facilitatis est ad eloquentiam collatio, et hoc est: ecce dedi verba, id est, facilitatem enunciandi verba mea, in ore tuo, ut os tuum sit instrumentum, Ego autem motor. EXODI 4 [12]: *Perge, Ego ero in ore tuo.* PSALMO [44, 2]: *Lingua mea calamus scribe.* IOB 32 [8]: *Spiritus est in hominibus, et inspiratio altissimus [sic!] <sup>(4)</sup> dat intelligenciam.* Ideo dicitur [MATTHEI 10, 20]: *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* [MARCI || 8 I rb || 13, 11] <sup>(5)</sup>: *Non vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus.* [II AD] CORINTHIOS 13 [3]: *An experimentum queritis eius qui in me loquitur Christus?* SAPIENCIE 10 [21]: *Sapientia aperuit os muti <sup>(6)</sup> et linguam infancium fecit disertas.*

Ecce constitui te: Potestatis est collatio. Quod autem dicit hodie, presentem figurat illuminacionem qua propheta illustratur et in potestate perficitur. Simile dicit Moysi EXODI 7 [1]: *Constitui te Deum pharaonis.* Hoc notatur cum dicit: super gentes. Super enim eminenciam notat et oppressionem, quia ad litteram onera gentium prophetat sicut eciam Ysaïas, et ex hoc gentes ad Deum convertit. YSAÏE 49 [6]: *Dedi te in lucem gentium.* Et regna, id est pote-

<sup>(1)</sup> B: *Mc. 4.* Ibi habetur narratio eiusdem miraculi, sed verba citata leguntur Luc. I. c.

<sup>(2)</sup> VULG.: *Nam ego novi.*

<sup>(3)</sup> B: *Luce 4.* Ibi nihil de hoc. Sed MATTH. 14, 36: *Et rogabant eum ut vel fimbriam.*

<sup>(4)</sup> VULG.: *Omnipotentis loco altissimi.*

<sup>(5)</sup> B: *Luce 21 [14].* Ibi idem ad sensum, item Luc. 12, 11.

<sup>(6)</sup> VULG.: *Mutorum.*

states regenorum quas evertendas prophetat Ieremias. [AD] HEBREOS II [1,13]: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iusticiam, adepti sunt repromissionem* <sup>(1)</sup>. YSAIE 60 [1,12]: *Gens et regnum quod non servierit tibi, peribit.*

Ut evellas: radices scilicet peccatorum, et destruas: actum peccati et reatus; et disperdas: obiecta et occasiones peccatorum; et dissipas: || 81 va || peccatorum munita, que sunt peccatorum excusaciones et defensiones et blandimenta. Hec quatuor notantur in suis oppositis IOB 3 [11-12]: *Quare de vulva egressus sum; egressus ex utero non statim perii? Cur exceptus genibus; cur lactatus uberibus?* <sup>(2)</sup>. Vulva a volvendo dicitur, eo quod semper vult per concupiscenciam irascibilem: radices figurat peccatorum. Egressus ex utero peccati: actum et reatum. Exceptio in genibus: obiecta et occasiones figurat peccatorum. Lactacio uberum: blandimenta et defensiones. YSAIE 14 [2,2]: *Perdam Babylonis nomen, et reliquias et progeniem et germen* <sup>(3)</sup>; et quia sicut dicit BOETIUS: *Prius extirpanda sunt vicia ut deinceps inserentur virtutes.*

Sequitur: edifices et plantes: Edifices edificia virtutum. EXODI 1 [1,17]: *Quia timuerunt obstetrices Dominum, edificavit illis domos.* Plantes autem germina verbi || 81 vb || Dei in fructum permanentem. YSAIE 4 [2,2]: *Erit germen Domini in magnificencia, et gloria, et fructus terre sublimis.* [I AD] CORINTHIOS 3 [9]: *Dei edificacio estis, Dei agricultura estis* <sup>(4)</sup>. PSALMO <sup>(5)</sup>: *Plantabis eos in monte hereditatis tue...*

Non erat plus in exemplari ».

<sup>(1)</sup> VULG. om. *sancti* et habet *repromissiones*. Auctor citat secundum liturgiam: cap. plur. mart.

<sup>(2)</sup> VULG.: *Quare non in vulva mortuus sum, egressus ex utero non statim perii? Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?*

<sup>(3)</sup> VULG.: *et germen et progeniem.*

<sup>(4)</sup> VULG.: *Dei agricultura estis, Dei aedificatio estis.* IERONIMUS in *Ierem.* 1, 10 (C. S. E. L. 59, 10): *Quod dicit apostolus: Dei edificatio, Dei agricultura estis.* Item GLOSSA ORD. IN IEREM. 1 (P. L. 114, 10).

<sup>(5)</sup> In VULG. legitur EXODI 15,17; sed haec pars assumpta est in psalterio liturgico tamquam canticum.



\*  
\* \* \*

Est ergo fragmentum B deficiens, non tantum — ut scholastice loquar — a parte post, sed etiam a parte ante (cap. I, v. 4-10). Deest explicatio trium priorum versiculorum, quibus, ut commentator dicit, enuntiatur titulus. Desunt probabiliter etiam praefatio commentatoris, et explanatio prologi vel et argumenti hieronymiani: huiusmodi enim praenotamina habentur in coeteris operibus scripturisticis eiusdem aevi, ut videre est apud Hugonem a S. Caro necnon apud B. Albertum.

Citationes, ut in notis indicavimus, valde imperfectae sunt, hoc tamen non quia a Vulgata deficiunt, sed quia assignant verba locis in quibus aliter, vel omnino aliud legitur. Influxus reminiscentiae ex liturgia signum est quod auctor ex memoria allegat textus citatos.

Inter ea quae commentator sui operi inseruit prius citandus est Ieronimus super Ieremiam; et quidem sic ut *omnia* quae ille habet in hoc loco, a commentatore assumpta sunt. Non tamen liquet utrum directe ex Ieronymi libro an ex Glossa haurivit verba et sententias. Utrumque nominat expressis verbis. Deinde citandi sunt Philosophus (Aristoteles), Horatius, Plato, Damascenus, Boëtius necnon Pseudo-Dionysius. Abundant praepriis allegationes ex Sacra Scriptura et hoc fere semper fundata adaptatione.

Comparando fragmentum B cum operibus scripturisticis Hugonis a S. Caro et S. Thomae, elucet subito affinitas maior cum methodo Aquinatis, in hoc quod procedit per modum divisionis et subdivisionis, et omittit moralitates, immo et allegorias. Unice insistit commentator sensui litterali, eiusque perscrutationi philosophico-theologicae. Si autem confertur haec postilla ad commentum Aquinatis in Ieremiam, patet quod quaestiones theologicae occasione textus acutiori modo ponuntur atque solvuntur apud S. Thomam etsi iidem fontes adhibeantur v. gr. circa problema de sanctificatione in utero matris (cf. S. Thomae, Opera edit. Vivès, 19, 70-71) quod agebatur tunc temporis occasione dicti S. Augustini in sua *Epistola de praesentia Dei ad Dardanum* (Epist. 187, cap. 10, n. 32-27); similiter circa problemata de praedestinatione, de sensu ver-

borum « *Novi te* », et de comparatione sanctificationis Ieremiae, Baptistae et B. Mariae Virginis nondum natorum.

Notetur formula qua doctrina de B. Maria Mediatrice videtur exprimi: « *Virgo vero Beata huius ET OMNIS gratiae ministravit exhibitionem, et ideo plus omnibus maiorem habuit sanctificationem* » (cfr. pp. 8-9, cum contextu praeced. et seq.).

Terminologia qua loquitur commentator de Verbo creatore et de Verbo intellectui prophetae infuso est neoplatonica; item applicatio theoriae aristotelicae de luce et de colore ad cognitionem in « *speculo eternitatis* ».

Ibi suspicamus nexum cum doctrinis mysticis rhenanae regionis circa finem saeculi XIII.

Si autem quaeritur cuiusnam amplitudinis sit totus commentarius, dato quod completus exstiterit, et quod auctor eadem extensione singulos versus explicaverit, responderi licet quod est circa 190 vicibus prolixior quam fragmentum B, in quo exponuntur septem tantum versiculi; totus enim liber Ieremiae 1310 versiculis componitur.

Adscribitur fragmentum B in codice ms. Alberto Magno; et simul transcriptum fuit cum alio opere indubitanter huic auctori tribuendo, nempe postilla in Baruch. Antiquitas <sup>(1)</sup> attributionis probatur ex « *exemplari* », a quo B transcriptum fuit. Criteria interna etiam suadent authenticitatem, nempe modus interpretandi, modus citandi, doctrina tradita, calamus: haec omnia Alberto optime conveniunt <sup>(2)</sup>. Unde iure meritoque dicere possumus quod hic habetur fragmentum commentarii S. Alberti Magni in Ieremiam, quem Petrus de Prussia se vidisse testatus est <sup>(3)</sup>.

Instit. histor. Fr. O. P.

G. MEERSSEMAN, O. P.

<sup>(1)</sup> Fideliter exemplar transcripsit amanuensis; ait enim f. 81 v b: « *Non erat plus in exemplari* ».

<sup>(2)</sup> Cfr. ea quae diximus de methodo exegetica Alberti in nostra *Introductione in Opera Omnia B. Alberti Magni*, Brugis Flandrorum 1931, p. 82 et seqq.

<sup>(3)</sup> Apud Petrum (ed. laudata p. 140) legitur: « *Qualiter autem hae sententiae S. Thomae (de virtutibus occultis) intelligantur per dominum Albertum, plenius exponitur in praefato libro mineralium, et similiter in sua Postilla super Hieronymum cap. X [super Ieremiam?], de quibus hic nihil pono causa brevitatis* ». Porro, caput X Postillae super Ieremiam conferre non potui, eo quod fragmentum B. complectitur tantum Cap. I, v. 4-10.